

Dissertatio inauguralis medica de vi imaginationis in producendis et removendis morbis ... / [Wilhelm Friedrich Klein].

Contributors

Klein, Wilhelm Friedrich.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Schrammianis, [1769]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a4v965u4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

INSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VI IMAGINATIONIS IN
PRODUCENDIS ET REMOVENDIS
MORBIS.

QUAM
SUB AUSPICIIS DIVINIS
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO,

DUCE WIRTEMBERGIAE ET TECCIAE REGNANTE
rel. rel.

CONSENTIENTE GRATIOSA FACULTATE MEDICA

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO
DOMINO

GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,

PHIL. MED. ET CHIR. DR. HUIUSQUE ET ANATOMIAE
P. P. O. MED. AUL. WIRT.

PRAECEPTORE ET PATRONO AETERNUM PIE COLENDO

PRO GRADU DOCTORIS

Die Jan. MDCCLXIX. H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

A U C T O R

GUILIELMUS FRIDERICUS KLEIN, Nordlingensis.

TUBINGAE TYPIS SCHRAMMIANIS.

Ge. A. Daner

PERFORMATIO IN AUREA VULNERIS MEDICI
DE

IN MAGNITUDE ET
PRODUCENDIS ET REMOVENDIS
MORBIS

639

SUS HISTORICIS-DIARIES

RACONC NIVERSITATIS MAGNIFICENTIASSIMO
UNIVERSITATE PORTUGALIS DOMINO

DOMINO

GEORGI

DUCS INTELLIGERE ET RECIRE TERRAM
TERRAM

САЛАЗАР

EXCELSISSIMO EXPERIMENTIS
DOMINO

GEORGO HERMICO

СИГАРА

ИМОСТИА ТА АУДИНА ЯЛЛОТЫ МИЛЛЕ
Б. С. М. А. А. М. И. Т.

ЛИЧИСТИА ТА АУДИНА МИЛЛЕ

БО ГАДА ДОКАРЛА

Б. С. М. А. А. М. И. Т. О. Г.

РУССКОЕ ПЕСЕННОЕ

АУТОР

СИГИРИСКИЙ ИЛЛЮСТРИРОВАННЫЙ



PROLOGVS.



Sunt, qui corpus humanum vivum pro automato habent, qui menti omne dominium in functiones vitales & naturales derogant; & omnia phænomena ibi occurrentia e solis legibus motuum explicanda esse, contendunt. At vero! Homo tam in fano, quam morboſo ſtatu conſideratus, obſervanti haud obſcure monſtrat, corpus noſtrum non a meris viribus materialibus moveri, dirigi, & mutari, ſed mentem maxime non tantum in functiones animales, quas vocant, ſed & in vitales & naturales imperium exercere. Quæ quidem tam egregie expoſuit III. GAVBIVS in prætantissimis ſermonibus Academicis *de regimine mentis, quod Medicorum eſt*; ut fere temerarium videri poſſit, ejusmodi operi, omnibus numeris abſoluto adhuc aliquid addere velle. Cum autem III. Auctor probanda ſua ſententia animi pathemata maxime allegaverit, reſtat adhuc pars argumenti haud minus gravis, quæ non tantum veritatem, ibi jam demonstratam conſirmat, ſed & in Pathologia & Therapia ſummi momen-

ti est: Nimirum, vis imaginationis non modo in corpus sanum, sed & in mortuum tam frequenter, & tam efficaciter agit, ut jure meritoque singularem exposcat tractationem, quam nunc pro viribus exhibeo, & ad eam vim, quam imaginatio in producendis & removendis morbis habet, maxime respiciam.

§. 1.

Quid sub imaginatione intelligatur?

Imaginationis nomine intelligi solet facultas animæ, imagines rerum materialium, simillimas iis, quæ ab objectis externis per organa sensoria excitari solent, sibi repræsentandi. De hac vero facultate jam non agam, sed contemplabor ejusdem quasi reciprocum, quatenus anima non subsistit in simplici representatione idearum, sed ope harum effectum sensibilem in corpus edit. Vis imaginationis itaque est operatio mentis in corpus ex fixa attentione ad objectum aliquod exorta. Pathemata animi multum quidem affinitatis cum illa habent, attamen tum quoad naturam ipsam, tum quoad phaenomenorum diversitatem ab eadem probe distinguenda sunt, id quod e quibusdam exemplis infra patebit. Singula enim animi pathemata effectus multo sensibiores, & breviori tempore producunt, motus plerumque violentiores secum connexos habent, & ipsa subito exoriuntur; & in æstu pathematum anima minus sibi conscientia est; cum e contrario imaginatio lentiori gradu pergere soleat, & motus cum ea connexi magis in interioribus hominis penetralibus peragantur; præterea quoque voluntas accedere & cooperari videtur, quod in animi affectibus aliter se habet; id vero non ibo inficias, animi pathemata særissime cum vi imaginationis conjungi, & per hunc concursum effectus edi adeo compositos & complicatos, ut, quid cuique causarum tribendum sit, omnino dubites; quin etiam perturbatio in utravis parte primum orta, non tantum æque facile inde in alteram transfertur, verum etiam in hac novis quasi viribus aucta revolvitur,

volvitur, fortior eo, unde venit, & vehementer iterum prius affectam partem concutit, quo ita redituque reciprocata crebro fluctus altius atque altius quandoque extumescunt, ac tandem in æstuationem difficilime comprehendendam erumpunt; uti alia occasione habet Ill. G A V B I V S. a)

a) Serm I. de Reg. M. q. M. e.

§. 2.

Quod imaginatio vim habeat in corpus generaliter!

Quotiescumque animæ per imaginationem aliqua idea offeratur, toties determinata aliqua mutatio in corpore, illi ideæ proportionalis & respondens conjungitur. Hæc connexio motuum cum ideis semper obtinet, qualiscunque etiam origo ideæ sit, sive ab anima, sive a corpore primum excitata fuerit. Motus hi qualescumque primum afficiunt corpora cerebrosa; cum vero in his origines nervorum quærendæ sint, nervi autem instrumenta motus sensusque per totum corpus præbeant, patet, integrum quoque corpus a vi imaginationis affici posse. Exempla quædam ab experientia desunta, sequentibus §§. thesin a posteriori probabunt.

§. 3.

Exempla vis imaginationis in actiones vitales.

Primo quidem functiones vitales a vi imaginationis accelerari, promoveri, impediri, quin & plane suspendi possunt, id quod inclytum exemplum famosi illius Angli Townshend testatur, qui, quotiescumque volebat, per solam vim imaginationis absque auxiliis externis perfecta asphyxia afficiebatur. Idem legimus de CARDANO a), aliisque, quos imaginatio in ecstasim cum cessatione pulsus & respirationis rapuit.

a) HIERON. CARDANVS de rerum varietate. L. VIII. c. 43. ita de scribit: „quoties volo, extra sensum quasi in ecstasim transeo. . . . Sentio, dum eam ineo, ac, ut verius dicam, facio juxta cor quandam separationem, quasi anima abscederet, totique corpori hæc res

„communicatur, et initium hujus est a capite, maxime cerebello, dif-
„funditurque per totam dorsi spinam. . . Cel. BRUCKERVS in Hi-
storia Crit. Philos. T. IV. p. 73. hoc Cardani mirabile cum reliquis tri-
bus rejicit, hancque jactationem hominem vel impudentissimum, vel
imaginationis deliriis corruptum prodere, contendit. BAYLE autem
in Diction. Hist. & crit. T. II CARDANVM un des grands esprits de
son siecle vocat, ejusdemque mirabilia non pro meritis figuramentis decla-
rat, adjiciens tantum: Que dirons nous?

§. 4.

Exempla potentiae imaginationis in functiones animales.

Major, frequentior, magisque conspicua est vis imaginationis in sensum motumque. Anima, in imaginationem intenta, non amplius videt objecta, quorum imago in retina haeret, sed eas tantum, quas vigor phantasiæ in sensorio interno producit; fortior enim sensatio semper disturbat debiliorem. Hinc explicandæ sunt tot spectrorum apparitiones, quæ modo occasione aliarum imaginum per sensus externos illatarum, utcunque similium componuntur, modo vero quasi ex nihilo producuntur. Ex eadem ratione CARDANO fides haberi potest, qui l. c. de se ipso ita habet: „cum volo, video, quæ volo, ocu-
„lis, non vi mentis, (quod ultimum aliquam limitationem
„patitur) Moventur autem perpetuo, quæ videntur imagines
&c. Hæc multum convenient cum verbis DE LA METTRIE a)
„Il me restoit peu de sang dans les vaisseaux, mais il y gallo-
„loit avec une vitesse inconcevable, mon imagination & mon
„esprit suivoient le même train &c. Auditus par ratio est:
Sunt homines, qui ex sono campanarum pulsatarum melodiam,
quam volunt, formare queunt, quin alii verba sibi sumunt ex
iisdem sonis, cuius lepidum exemplum SCARRON habet. Huc
facit quoque illud HORATII:

Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro.
Difficilius quidem imaginatio imperium suum exercet in gustum
&

& olfactum, quippe hæ ideæ levius tantum organo sensorio interno impressæ videntur; Haud tamen desunt, qui absque concursu objecti alicujus externi etiam has ideas sibi formant; sic nec adeo facile tactui imperat imaginatio: Docent tamen exempla multorum, animam imaginationi intentam, etiam heic decipi, & Ledam pro Rachele teneri. Sensus tandem internus, universalis, quo homo se ipsum sentit, & qui minus bene ad tactum refertur, fortissime patitur ab imaginatione. Dolores acutissimi, pruritus, aliæque modificationes hujus sensus interni a sola sæpe vi imaginationis producuntur. Fuerunt ægri, non deliri, sed mente sanissimi, quibus pes aut brachium a Chirurgo amputatum erat, illi vero, non obstante hac extirpatione, illo membro se adhuc præditos esse, putaverunt, & de variis in eo doloribus diu conquesti sunt. b) Huc referas quoque eos, qui sese ex vitro conflatos esse, pedes habere stramineos, cornua gestare, nasis sesquipedalibus donatos esse, paralyssi laborare &c. sibi imaginantur, qui ideo proprie ægri imaginarii (*malades imaginaires*) dicuntur. Ejusdem census sunt misellæ illæ aniculæ, quæ vino, vel narcoticis ebriæ firmiter credunt, se per auras ferri, in furcis caprisque equitare, & in dæmonum societate saltare, esurire, satiari &c. c) Incubus & succubus in aliis mira formant terricula, tot testimonia imaginationis vivide intensæ. Sensus internus plurimum quoque patitur a vi imaginationis in fanaticis, maxime fœminis, quæ amore mystico usurlatæ mirabilia per totum corporis habitum percipiunt, sibique imaginantur: Magnum ejusmodi exemplorum numerum collegit, & ut solet, elegantiissimo stilo proposuit Cel. ZIMMERMANN d). In dormientibus imaginatio scenam suam æque potenter ludit, exemplo hypnobatarum. Imperium imaginationis extendit se quoque ad motus spontaneos; ambulans non opus habet expresso voluntatis jussu ad singulos passus perficiendos, nec hos illosve musculos sigillatim movet, sed ambulatio semel cœpta per se quasi pergit, & motus integri alicujus membra uno actu perficiuntur. Ita etiam risus ex uno in alterum quasi per infectio-

nem

nem transit, nec non oscitatio, etenim oscitante uno, oscitat & alter.

- a) Oevres de Medecine. p. 275. b) R V D. I A C. C A M E R A R II Dis fert. quæ inscribitur: Paradoxa sensatio, sive dolor membra amputati. & Ill. G A V B. Instit. Pathol. Medic. §. 674. c) W I E R V S de Præstigiis Dæmonum. d) von der Erfahrung in der Arzneykunst, II. Theil. p. 520. seq.

§. 5.

Exempla imperii imaginationis in functiones naturales.

Devenimus ad functiones sic dictas naturales, in quas imaginatio quoque magnam vim habet. Sunt homines, qui cibum potumve deglutituri subito obstaculum aliquod in faucibus hærens imaginantes, reapse constrictiōnem pharyngis & oesophagi patiuntur, qua deglutitio ita impeditur, ut, si nihilominus deglutire vellent, in suffocationis periculum incurrerent. Vim imaginationis in ventriculum & organa digestionis fatis monstrat nausea, quæ sæpiissime, vel potius semper ab idea aliqua invisa oritur; sensibiores homines ab historia obsec̄ēna, nauseosa audita, mox nauseam vomitumque experiuntur. Testimonium IVNCKERI prodit nohiles quasdam matronas, quæ, quoties certam cantilenam funebrem, quæ olim ad exequias fratris dilecti cantabatur, audiebant, toties vomitu corripiebantur. Ut de imperio imaginationis in secretiones unum afteram, quis nescit, salivam ad conspectum epularum exquisitarum, vel etiam his absentibus, ad solam earum repræsentationem etiam in homine non esuriente multo copiosius secerni, & plenis rivis in os influere. Excretiones varii generis etiam a vi imaginationis determinantur. MONTAIGNE a) habet virum, cui imaginanti, sibi enema applicari, alvus liberaliter solvebatur. Enurefis infantum nocturna iisdem rationibus tribuenda est.

Sic etiam Venerem nocturna insomnia solvunt.

Gaudiaque informant, veros imitantia lusus. b)
id quod etiam iis, qui alias dyspermatismo laborant, evenit,
ita, ut imaginatio fortiter intensa plus valeat, quam voluntas
vigi-

vigilantis. De vi imaginationis gravidarum in fœtum, quem gestant, multum disputatur. Quicquid autem contradicunt moderni quidam, & præcipue Galli, Blondelli argumenta repetentes, res ipsa tot exemplis evidentibus comprobata est, ut dubio nullus amplius locus relinquatur. Sunt enim mulieres, quæ infantes naturos, his illisve nævis deturpatos fore, prædicere poterant. Præterea Ill. BOERHAAVE c), VAN SWIETEN d), & Cel. VNZERVVS e), in quibus viris non nisi injurius anilia præjudicia supponere potest, ut testes oculati huic veritati suffragantur. In hisce rebus explicatu certe difficillimis, probe distinguendum est inter id, quod principiis rationalibus repugnat, & id, quod ex principiis hucdum cognitis nondum explicari potest. Hinc fit, ut multi rerum, quæ manifeste conspicuntur, causas reddere nequeentes, eārum existentiam potius negant. Restant adhuc casus quidam singulares, quorum autem veritas nonnullis suspecta videbitur; qualis est, quem MONTAIGNE f) his verbis habet: „Et encore, qu'il ne soit pas „nouveau de voir croistre la nuit des cornes a tel, qui ne les „avoit pas en se couchant: toute fois l'evenement de Cyppus, „Roy d'Italie, est memorable, lequel pour avoir affiste le „jour avec grande affection au combat des taureaux, & avoir „eu en son songe toute la nuit des cornes en la teste, les „produisit en son front par la force de l'imagination. -- Referunt alii, quod ex vi imaginationis vel & ab affectu violentiori subitanea canities orta sit. g) Atqui vero magna est affinitas physiologica inter capillos, ungues & cornua!

- a) Livres des Effais I. Part. p. 85. b) MARCELLVS Paling. in Cancro.
 c) Aphorism. 1075. d) Comment. ad aph. 1075. p. 406. e) Hamb.
 Mag. T. IX. f) I. c. p. 82. g) SCHENCKIVS in Observ. Med. de
 Capite Humano. Obs. I. & ALBERTI Diss. de Canicie præmatura.

§. 6.

Quod imaginatio morbos gignere queat.

Cum ex antecedentibus vis imaginationis in corpus satis eluceat, facile quoque intelligitur, eandem morbis gignendis

parem esse. Cum morbus in genere status animalis viventis sit, quo fit, ut actiones debitæ non possint apposite ad leges sanitatis exerceri: Imaginatio autem in omnes functiones agere possit, (§. 3 - 5.) patet, tales quoque mutationes in functionibus a vi imaginationis produci posse, quæ liberum harum exercitium impediunt, vel & plane tollunt. Ne vero argumentis a priori ductis diu inhæream, ad exempla progrediar.

§. 7.

Quosnam morbos vis imaginationis directe gignat?

Morbi imaginationi tribuendi triplicis sunt generis: Dantur, quos vis imaginationis directe gignit: Alii tantum indirecte ab imaginatione intensa proficiuntur: sunt denique, in quorum decursu imaginatio valide ludit. De primo genere, jam dicendum: Accidit, ut , dum aliquis sibi fortiter imaginatur, se hoc illo *ve* morbo laborare, revera eum morbum sibi contrahat; Hos a vi imaginationis *directe* produci , clarum est. Imaginatio solidis fluidisque morbosam mutationem inducere valet; Inde numerus horum morborum per omnes classes, ordines, & forsan etiam genera se extendit. Vitia, (ut Nosologiam methodicam Sauvagesii sequar,) five affectus superficiarii a vi imaginationis sœpe nobis inducuntur, etiam nondum natis; ita generationem nævorum maternorum ingeniose explicat Cel. D. KRAUSE, a) afferens , ideam matris communicari cum anima foetus, ope nervorum connectentium. Homines, incubo vexati, miras lamiarum dæmonumque imagines sibi formant, a quibus vapulent , & quibuscum pugnant , evigilantes altero mane vera monstrant ecchymomata, in thorace, brachiis, &c. tot testimonia non verberum quidem, sed vividæ imaginationis, quæ ope spasmorum sanguinem extra vasa pressit. Febrium matrem interdum meram imaginationem esse, sequens historia ex ELIAE CAMERARII specim. Eclect. Medic. b) desumta docebit. „ Iuvenis, annorum sedecim, mœstus ex consanguinei „ funere, eandem sibi metuere incipit fortis, inter perpetuos „ „ ango-

„angores inevitabilem exspectat morbum, dejectum tandem
 „fentit appetitum, ac febriculæ quosdam accessus: incrementum
 „capit mortis proximie imminentis non metus solum, sed
 „firmissima nullisque summovenda argumentis persuasio; quic-
 „quid occurrit, vertitur in fati minantis omina, ac ultimum
 „impatiens præstolatur diem, pulsu non nisi modicam ostentan-
 „te febrim, urina vero sensim sensimque per tinctoris atque
 „obscurioris flavedinis gradus ad fuscum plane ac nigredini pro-
 „ximum colorem transeunte, talique per quindecim ad mini-
 „mum dies perdurante, cum anxietate terribili nocturna, ac
 „doloribus præcordiorum. - &c. Exanthemata varia ex sola
 vi imaginationis profluxisse, variæ produnt observationes:
 A peste aliquando eos maxime infectos fuisse, qui se infectum
 iri fortiter imaginabantur, testatur RIVINUS. Adolescen-
 tem quendam sensibilioris temperamenti hac via purpuram
 sibi contraxisse, habet Cel. ZIMMERMANN: c) „Er kam in das
 „Zimmer eines an dem Friesel verstorbenen, er griff den
 „Leichnam bey einer Hand an, seine gegenwärtige Freunde
 „sagten ihm, seine Zärtlichkeit auf die Probe zu setzen, jetzt
 „habe er sich den Friesel zugezogen, nach ein paar Tagen hat-
 „te er den Friesel mit allen seinen Zufällen. Idem laudatus
 Auctor ex Falconeto variolam, solavi imaginationis productam
 refert: „Eine Frau zog sich aus einer nærrischen Furcht die
 „Pocken plötzlich zu, indem sie in einer Kirche eine ande-
 „re Frau sahe, die rothe Flecken im Angesicht hatte, und
 „geglaubct diese Flecken seyen eine Folge der Pocken. In-
 „deß hatte jene gefleckte Frau nicht die Pocken, sondern et-
 „was scharbockichtes im Blute, aber die Furcht öffnete bey
 „dieser die einfaugende Gefäßse der Haut, und vielleicht fas-
 „ten diese in der Luft die ansteckende Theile der Pocken. At-
 vero historia Falconeti expresse negat, miasma variolosum ad-
 fuisse, unde ergo vasa bibula tale miasma haurire potuerunt?
 Nec satis demonstratum mihi videtur, a metu vasa inhalantia
 magis hiare, verum quidem est, contagia facilis cum meticu-
 olis & anxiis communicari, unde vero hoc? Vasa resorbentia

magis hiare dicuntur in terrore & metu! Quomodo hoc probatur? Ex facilitiori infectione! Ita vero circulus logicus committitur. In metu & terrore tota potius corporis externa superficies spasmodice constringitur, adeoque via tam arteriolis, quam verulis intercepta est. Ita itaque variola merum imaginatio-nis opus erat. Idem Cel. ZIMMERMANN l. c. tumores, tube-ra, paronychias aliaque mala in fœmina observavit, quæ sese ex achoribus sui infantis infectam esse, imaginabatur. Quæ quidem omnia ille metui ascribit, cum tamen pace viri Cel. rectius vividæ imaginationi tribuantur; Etenim metus talis determinatus nihil est, nisi intensa vis imaginationis ad objectum invisum. Spasmorum & convulsionum omne genus ab imaginatione proficiisci posse, docet epilepsia, inter cujus principia ipse BOERHAAVE d) vim imaginatricem ingentem refert. Ipse enim Vir immortalis mirum aliquando spectaculum vidit, cum omnes fere pueros puellasque in ptochodochio Haarlemensi ad conspectum paroxysmi epileptici, quo primum unus, dein plures corripiebantur, eodem morbo per vim imaginationis affici, expertus est. e) Simile exemplum ex Vega afferit SCHENCK. f) Certe hæc epilepsia caufsa haud adeo raro occurrit, optandumque, ut magis ad eam attendatur. Singultus quoque gravis ab imaginatione perinde ac nausea fovetur ac renovatur. g) Deinde huc quoque referenda est idiosyncrasia quædam ima-ginaria, quæ æque, ac vera, spasmis & convulsionibus stipatur, simulac idea determinatae rei exosæ excitatur. Pone, hunc illamve sibi imaginari, certum quendam odorem, saporem, sonum, colorem, medicamentum &c. naturæ ipsius contraria & infesta esse, cum tamen reapse non sint; dum idea hæc sæpe repetitur, fortius imprimitur, & tandem effectus producit, quæ tantum ab idiosyncrasia naturali expectari possunt. Virgo quædam Cel. ZIMMERMANNUM l. c. p. 589. rogabat, ne theriacam ipsi præ-scriberet, quoniam eam cane & angue pejus abhorreret; Eodem die Vir sagax inficiæ bonam portionem theriacæ aliis medica-mentis immixtam propinavit, sine ullo effectu noxio. „Dieser „Person, adjicit, war nur die Idee des Theriacks zu wider, nicht „der

„der Theriack. -- Spasmodicis affectibus quasi oppositæ sunt debilitates, quæ ex eodem fonte, sc. imaginatione sæpe profluunt. Homo, alioquin fortis, impotentia laborabit, simulac eam ideam sibi sumit. „Je sçay par experience, ait MONTAIGNE h) que tel, de qui je puis respondre, comme de moy mesme, en qui ne pouvoit eschoir soupçon de foibleſſe, & aussi peu d' enchantement (*loquitur enim heic de nodi ligatione, liaisons des mariages, dem Nestel-Knüffen*) ayant ouy faire un conte a un ſien compagnon d'une defaillance extraordinaire, en quoy il eſtoit tombé ſur le point, qu'il en avoit le moins le beſoing, ſe trouvant en pareille occaſion, l'horreur de ce conte luy vint ſi rudement frapper l'imagination, qu'il en encourut une fortune pareille. -- Quodſi malum hypochondriacum & hyſtericum ad debilitates referre volumus, quorū ſum SYDENHAM i) ea relegat, tum etiam hæc ſymbolum ſuum conferunt, ad probandum, quod vis imaginationis debilitatum origo eſſe queat. „Die Hypochondrie, dicit ZIMMERMANN l. c. p. 436. die Mutter-Krankheit, und die Melancholie können zwar aus vielerley physischen Ursachen entſtehen, und doch werden sie auch durch bloße Bekrænkung der Seele in einem ſonſt geſunden Körper bald erzeugt. addo: etiam ſola ſæpe vi imaginatio-nis, id quod haud diſſicile obſervatu eſt. De doloribus & dysphagia, quatenus huc faciunt jam §. 4. & 5. diectum fuit. Ii quoque, qui podagram mentiti ſunt, eo malo revera affecti fuſſe leguntur. Vefanias, ſive mentis abalienationes ex vi imaginationis ſaepe naſci. per ſe patet. Etenim, simulac quis ſibi imaginatur, ſe abalienatione mentis laborare, eo ipſo veſanus censendus eſt. Rechte etiam huc refertur ea mentis abalienatio, quæ in idiosyncrafia imaginaria, de qua ſupra dixi, occurrit. Nec alienus hic eſt Wampirismus, qui, quantum ex scriptis argutissimi Bilfingeri, Weitenkampffii, & Ranftii colligere potui, nihil aliud eſſe videtur, quam febris maligna epidemica, cuius propagationi atrox & effera imaginatio favebat. Mirabilia phænomena, quæ in cadaveribus eo morbo extinctorum apparebant Cel. SAUVAGES k) a præstigio hominum

num infamum derivat, quamvis eorum potiora etiam ex idea febris catarrhalis malignæ belle deduci possint. LANGIVS ex Hennenbergio citat, quod Potollos, sive Pocollos, idolum olim Borufforum noctu homines adeo terruerit, ut plurimi exinde mortui fuerint. Lycanthroporum vesania eodem fundamento nititur. Fluxus, sive ut Platerus eos nominat, vitia excretorum, fœcundam illam morborum matrem, imaginacionem puto, pariter ut principium agnoscunt. Dysenteriam ab imaginatione subito exortam, habet ZIMMERMANN. l. c. p. 452. Etiam heic locorum observatum fuit, eos in primis dysenteria affectos fuisse, quibus lurida ejus idea semper imaginationi obversabatur. Diarrhœa vehemens ab idea assumti medicamenti purgantis, quod autem omni plane vi purgante destitutum erat, nata legitur. *l)* Urinæ vitia in historia supradicta ex Camerario dictata, ab imaginatione orta occurunt. Ipsa denique mors aliquando hominibus contigit, quibus ea determinato tempore eventura prædicebatur. Homo enim, vaticinio fidem habens; (sine hac enim res non succedit,) ideam mortis adeo firmiter impressam servat, ut sub illud tempus, labefactatis sensim corporis animique viribus anima desperabunda corpus linquat. „Es ist nichts gewissers ait Cel. UNZERVS *m)* „als dass man bloß von Einbildung kranck werden, und sterben könne, und der Arzt siehet öfters mit Erstaunen, „wie Leben und Gesundheit an einer lächerlichen Thorheit „hänget, und wie die Ideen die Stelle der heftigsten Gifte vertreten. Prostant exemplia, ubi homo ad supplicium damnatus, jam in sella funesta confidens, loco macharæ, qua caput sibi detruncatum iri, expectabat, virga lignea leviter feriebatur, & exinde subito extinctus fuit. Hæc mors ex eadem fere ratione contingit, ac ea, quæ ex timore: cuius exemplum habet ZIMMERMANN l. c. p. 461. Vivida enim mortis instantis imaginatio absque metu vix esse potest, sed cum eo quasi coincidit; Timorem quoque inter præcipuas mortis subitanæ causas ponit RAU (*n*).

a) Hamb. Mag. B. XX. p. 54. sq. Beantwortung der Frage, wegen der Muttermäher, welche die Kayserl. Academie zu Petersb. aufgeworfen.

fen. b) p. 5. f. c) l. c. p. 453. d) Aphor. 1075. e) ABRAH.
KAAU EOERHAAVE Impetum faciens &c. l. IX §. 406. f) Obs. Med.
L I. Obs. 192. g) DE SAUVAGES Nosolog. Method. T. II. P. II. p. 139.
h) l. c. p. 83. i) Dissert. Epistol. de affectione hysterica. k) l. c.
T. III. P. I. l) Hamb. Mag. B. XVI. p. 97. m) der Artzt. III. Th.
p. 260. n) Dissert. tit. ut supra. Präf. Ill. Büchnero.

§. 8.

Quod imagiuatio intensa per indirectum morbos inducere possit?

Sequuntur nunc ii morbi, quos vis imaginationis *indirecte* gignit: Hi vero sunt primo illi, qui ex imaginatione in quodlibet aliud objectum valide intensa oriuntur; Omnis enim operatio mentis secum conjunctas habet motus quosdam, qui in cerebro peragi recte supponuntur. Hi motus autem, quamquam non sub sensus cadunt, tamen viam determinatam, nec exiguum quidem requirunt: Quo major vero vis uni functioni impenditur, eo plus detrahitur alteri. Simulac autem hæc vel illa functio non recte ad leges sanitatis peragit, adeſt morbus. Secundo loco veniunt ii morbi, qui nascuntur, dum imaginatio decepta detestatas ideas animæ repræsentat, & sic variros motus inordinatos & noxios inducit. Sequentia exemplarum clarius illustrabunt & confirmabunt.

§. 9.

Morbi, qui ab imaginatione indirecte profluunt.

Pictores, Poetæ, sculptoresque, diurno operi insidentes viresque imaginationis vehementer fatigantes, corporis animique viribus minuuntur, sæpiusque in maciem & tabem incurunt. a) Totum itaque systema nervorum ab imaginatione valide intensa patitur & debilitatur. Malum hypochondriacum eos, qui imaginationi nimis iudgent, sæpiissime infestat. Præterea enim, quod intensio virium imaginationi debilitatem inducit, eadem quoque transpirationem suppressit, unde innumeræ

mera malorum turma iterum generatur, uti Sanctarius testatur & observavit. b) Cephalalgiam, agrypniam post validam imaginationis intensiōem quis non expertus est? Vesaniæ quoque varii gradus, diversarumque specierum ex eodem fonte scaturiunt. Nota sunt exempla hominum, qui, postquam jacturam bonorum, amatæ personæ, aliusve rei desideratæ passi sunt, adeo firmiter ideas suas in illa jactura fixerunt, ut oīnino exinde mente caperentur. Homines, fastui inani nimis indulgentes, omnemque suam imaginationem in adulatoriis illis ideis volventes, similem fortunam incurrisse, quis nescit? Nostalgia quoque huc pertinet, quæ ex desiderio, locum habitatio-
nis mutandi enascitur, si cum hoc desiderio vividæ imaginatio-
ni commoda & gaudia alterius loci obversantur. Multi, cum
vident ab alio acerba vel valde acida degustari, stupore dentium afficiuntur, non secus, ac si ipsi talia assumfissent. Ex
imaginatione falaci fœminis, maxime cælibibus flores albos,
chlorofin, & ephelides profluere, experientia docet. Alio
modo nocet imaginatio, quando per varias ideas horrendas,
animæ repræsentatas, motus noxios in corpore producit; sa-
pius laudatus MONTAIGNE l. c. ait: „Je sçay, qu'un gentil-
„homme ayant traité chez lui une bonne compagnie, se
„vanta trois ou quatre jours après par maniere de jeu, (car
„il n'en estoit rien) de leur avoir fait manger un chat en pa-
„ste: de quoy une demoyselle de la troupe point telle hor-
„reur, qu'en etant tombé en un grand devoyement d'estomac,
„& fievre, il fut impossible, de la sauver. -- Qui quanti-
que morbi ex spectro viso nati compareant, passim in observa-
tionibus legas: Quanquam enim spectrum affectus imaginatio-
nis sit, nihilominus magni tumores, erysipelas, ulcera, alia-
que exanthemata inde producuntur. Eiusmodi morbum me-
morabilem, at, uti ipse fatetur, nauseosum observavit Cel.
ZIMMERMANN l.c.p. 462. sq. Inter cauſas epilepsiaæ idiopathi-
cæ imaginatio quoque merito poni debet; Epilepsia enim aliquæ
omnis generis spasmis ab imaginatione detestatis ideis repleta
excitantur; „Dum spectrum humeris infiluisse, illudque ad
„ædes suas usque se detulisse, imaginabatur adolescens, pessi-

,, me

„ me se inde habuit, & renovata simili spectri visi imaginatio-
 „ ne, fuit factus epilepticus. c) Alius imaginatus, araneam
 „ libi offerri, animal ipsi summe exosum, cum tamen illa præ-
 „ tenta aranea frustulum ceræ esset, exinde in spasmos tetanum-
 „ que, transitorium quidem incurrit, narrante ZIMMERMANNO
 l. c. p. 592.

a) RAMAZZINI de morbis Artificum opp. p. 502. b) Medicina statica
 passim. e) FR. HOFFMANN. Op. omn. T. III. p. 31.

§. IO.

Exempla morborum, in quibus imaginatio valde ludit.

Ii denique morbi, in quorum decursu imaginatio valide lu-
 dit & aberrat, ad thema præsens spectant, licet hos potius
 morbos imaginationis, quam morbos ab imaginatione nuncupa-
 veris. Horum primarii sunt vesaniæ omnis generis; Ipsa enim
 anima an unquam ægrotare possit, merito dubito; sed omnis
 vesania mihi videtur error, ex falsis imaginibus menti oblatis,
 necessario ortus. In hydrophobis hoc evidenter apparet, qui-
 bus imaginatio adeo depravata est, ut ne speculum quidem,
 utpote aquæ claræ quodammodo simile, sufferre possint. Ani-
 mam vero in iis non ægrotare, ex intervallis lucidis, in quibus
 recta ratione constant, & ubi forte lufus imaginationis cessat,
 clare patet. In epilepsia quoque secundum testimonium JLL.
 VAN SWIETEN l. c. epileptici observant quandoque in initio
 paroxysmi, vel paullo ante, excitari novas & insolitas ideas,
 dum pulcherrimos & nunquam ante visos colores, sonos sua-
 viissimos, odores nunc gratos, nunc ingratissimos percipiunt &c.
 In genere iis in morbis imaginatio valde ludit, in quibus sen-
 forium commune vel idiopathice afficitur, vel etiam in con-
 sensuum trahitur.

§. II.

Imaginatio decursum morborum turbat, & in pejus vertit.

Quemadmodum imaginatio in ipsa morborum productione
 potens est, ita etiam in morborum aliunde natorum decursu

non minorem exhibit efficaciam. Simulac æger morbo etiam leviori laborans, tristes mortis imagines concipit, quamprimum animum demittit, & de sua reconvalescentia dubitat, vel plane desperat, omnia mox in pejus ruunt, maligna symptomata accedunt, vires labefactantur, & æger, nisi promte tristes illæ ideæ ipsi evellantur, moritur, & evadit victima suæ imaginationis. Inde explicanda mihi videtur observatio, quam Cel. ZIMMERMANN a) fecit: „ Alle an der Ruhr darnieder „ liegende würden heftiger kranck, und sehr oft gab es in „ einem einzigen Hause alsdann verschiedene Todes - Fælle, „ wann vorlæufig einer in demselben Hause gestorben war. In omnibus morbis, præsertim malignis, hoc momentum semper respiciendum est. Anxetas, symptomà ibi frequens & horrendum respondet tam statui corporis revera periculoſo, quam conditioni minoris momenti, quæ panicum modo terrorēm incutiat. b) In scorbuto quoque imaginationis tristes effectus annotavit WALTER: c) „ Wir hatten die oftmalige Erfahrung, daß alles dasjenige, was unsfern Leuten den Muth nahm, oder zuweilen ihre Hoffnung verminderte, der Kranckheit allezeit neue Stärcke gab. -- Exinde etiam apud vulgum vesicatoria sæpe optatum effectum elidunt, quoniam multi plebejorum persuasum habent, vesicatoria nunquam, nisi in casibus desperatis adhiberi: Tanti interest præjudicia hominum nosse, ut, si quidem possibile, illis occurri possit.

a) Von der Ruhr, unter dem Volcke. p. 344. b) G A V B. Inst. Path. §. 684. c) Ansöns Reise um die Welt. I. Buch. X. Hauptst.

§. 12.

Vis salutaris imaginationis.

Vis imaginationis quantum in producendis morbis potest, tantum etiam circa eorum remotionem valet. Cum enim illa ad omnes nostras functiones sese extendat, in iisque admodum sensibiles mutationes perficere possit, uti ex antecedentibus patet, nemo facile negabit, vim imaginationis etiam mutationes salutares inducere posse: Quemadmodum enim ad generationem

tionem morbi nihil requiritur, nisi mutatio conditionum, quæ ad functionem aliquam peragendam necessariæ sunt; ita vel omisso eiusmodi mutationum, vel immutatio earum, quæ functionibus obstiterunt, sanitatem obfirmat, & restituit.

§. 13.

Imaginatio a morbis præservat.

Imaginatio recte sibi constans, intra limites suos coercita, & firmitudine quadam prædita insultum multorum morborum avertere, omnium decursum mitigare, & non paucos sanare valet. Primo itaque omnes ii morbi, quos imaginatio directe gignit, (§. 8.) averti possunt, si imaginatio ita dirigitur, & firmatur, ut falsæ illæ ideæ elidantur. Quod ut perficiatur, omni studio remedia, tam psychologica, (offerendo scilicet ideas alias, quibus mens noxiæ imaginationi indulgens, distrahitur,) quam medica a) adhibenda sunt, quibus imaginatio coerceri, & præjudicia everti possunt. Deinde morbi, qui ab imaginatione in alia quævis objecta nimis intensa proficiuntur (§. 10.) per remissionem intensitatis, & usum ejus moderatiorem avertuntur. Dantur quoque casus, ubi vis imaginationis directe & quasi offensive morbos pellit & removet, uti quidem in epidemiis malignis facile observatur, ubi ii, qui morbum mortemque spernunt, eo rarius corripiuntur. Alii quoque, contra omnes diætæ regulas enorniter impingentes, in serum usque senium sæpe fani & incolumes vivunt, omnia medicorum præfigia & confilia ridentes. Huc etiam spectat, quod Felix PLATER b) & RIVERIVS de virtute lapidis aetitæ & Lazuli habent, qui nimirum a prægnantibus ut amuleta gesta, abortum præcavere possint.

a) GAVBIUS Serm. Acad. de Reg. mentis, q. Med. est. b) Obs. L. III.
p. 727.

§. 14.

Imaginatio morborum symptomata mitigat.

Quemadmodum imaginatio in decursu morborum omnia exasperare potest, (§. 12.) ita etiam eadem omnia symptomata

mitigare , totiusque morbi decursum lenire valet. Æger firmam fiduciam in medico , vel in medicamento aliquo ponens ab eo fere semper sublevatur , et si forte noxium , vel per se nullius virtutis esset. a) RIEDLINVS refert , cuidam ægroti tre e pane similagineo formatas pilulas pro magno arcano esse exhibitas , unde maximum levamen experiebatur. Ipsa sæpe præsentia medici ægros mire solatur , ut magnæ partis suarum calamitatum obliviscantur.

Si miser est Medicus , medicamina bina venenant ,

Si fortunatus , bina venena juvant.

Dolor & anxietas , urgentia illa symptomata , a quibus plurius alia dependent , vix locum habent in homine , fiduciæ pleno & imaginante se levi morbo laborare , & certò evasurum esse. Cum enim dolor & anxietas principii sentientis affectio sint hoc vero ad malum sibi illatum minus attendit , etiam effectu horum symptomatum evanescere , necesse est. Cum etiam anxietas eo major esse soleat , quo majus , vel quo obscurius malum imaginationi obversatur , mali contemptus , vel penitio cognitio , (quamvis sæpe imaginaria) anxietatem mire sublevarre potest ; id quod hypochondriaci & melancholici suis exemplis comprobant , illis heroibus similes , quos nullo pretie adigas , ut in templo aliquo deserto noctem foli degant , quia horridæ alicujus ipsis ignotæ rei idea imaginationem obsidet , cum tamen iidem in præliis sese præsentissimis periculis intrepide objiciant.

a) Lin. med. a. I- m. Jul. lin. 12.

§. 15.

Imaginatio morbos sanat.

Quid vero imaginatio in ipsa morborum sanatione valeat nunc examinandum. Sicuti imaginatio varios morbos tam directe , quam indirecte gignit , ita in sanatione morborum nunc directe nunc indirecte suum monstrat effectum. Directa sanatio ea est , si homo , morbo aliquo laborans , fortiter imaginando , se vel non amplius ægrotare , vel saltim certissime la-

naturi

natum iri, ab illo morbo auctu liberatur. Hoc modo sanantur
ii morbi, qui a vitio imaginationis exoriuntur & sustentantur,
nec tamen omnes, si malum altius jam hæret, & in corpore
tantæ noxæ turbæque natæ sunt, quæ vim salutiferam imaginationis
superant, nec etiam hi soli, etenim tales quoque, qui
principia mere corporea agnoscunt, ab imaginatione sæpius su-
perantur, sed & hic sciendum, vim imaginationis non esse
omnipotentem, & quo majora obstacula adsunt, eo difficilius
quoque illa ab imaginatione removeri posse. Ut vero imagi-
natio vim aliquam notabilem exercere possit, opus est, ut ea
valde intedatur, quem in finem aliquando subsidia quædam
externa, quæ fortem firmamque ideam imprimere possunt, in
usum vocanda sunt: Hujus generis remedia omnino extraordi-
naria esse debent, quæ quidem sagacioribus risum sæpe movent,
pro ratione subjectorum autem summi momenti, & absolute ne-
cessaria sunt. Huc pertinent varia amuleta, remedia sympathetica,
incantationes, jaætatio arcanorum infallibilium, char-
acteres, schedulæque, & omnis apparatus magicus, de quo
WIERVM a) & CICOGNAM b) legas.

a) De præstigiis dæmonum. b) *Theatrum magiæ omnifariæ*.

§. 16.

Qui morbi ab imaginatione directe sanentur?

Primo itaque loco exempla afferamus, ubi imaginatio di-
recte morbos sanat. Novi, vulnera varia, contusiones, am-
busca, fracturas ossium, levi incantatione, vel remedio quo-
dam sympathetico passim adhuc hodie curari solere, successu-
fere semper felici, attamen etiam quandoque irrito eventu, iis
scilicet in casibus, ubi vires naturæ, ab imaginatione intensa
adjutæ, damnum illatum & obstaculum superare nesciunt. Fe-
briam cura, maxime intermittentium, sæpissime a vi imagina-
tionis pendet; mirum sæpe est phænomenon, febrem illicè
suspendi, nulla ratione habita ad materiæ peccantis evacuatio-
nem. Subsidia imaginationis supra recensita, in primis amuleta
a longissimo retro tempore a) heic in usum trahuntur; de quo-

rum operatione pulchre sane & ingeniose commentatus est P A R A C E L S V S b) „ Der Glaub ist dieser Ding aller Cloquitur vero de amuletis, aliisque ejusmodi,) Exaltation und Confirmation, „ dann ohn den Glauben ist es alles thumb und krafftlos. Post eum W I E R V S eadem sentit, & L A N G I V S c) nervose rem ita exprimit: „ Amuleta in se nulla vi quidem gaudent (iunt tamen aliqua excipienda) febres tamen tollunt, spiritibus aliam „ ideain imprimendo, ut negligant pristinam illam, ne paro- „ xysmos sentiant; Abracadabra, aliaque appensa, aut propi- „ nata varia, cum firma saltem promissione de reconvalescen- „ tia, cuncta, nisi confidat his iplis æger, nihil juvant. In ipsarum quoque acutarum febrium sanatione efficacem se præ- stitit imaginatio. S E R E N V S S A M M O N I C V S l. c. in hæmitritæo amuletum suadet:

Inscribes chartæ, quod dicitur abracadabra
Sæpius & subter repetes, sed detrahe summam.
Donec in angustam redigatur littera conum.

His lino nexit collum redimire memento.

L A N G I V S d) memorabile hujus generis exemplum ex Thoma a Veja allegat: „ Quidam ex febre ardente delirans, enixe „ postulavit, sibi concedi in stagno illo, quod pavimentum „ erat, vel momentaneam saltem immersionem & natatum: „ ajebat enim, se certo scire, ex illa refrigeratione corporis „ reconvalescentiam ipsi esse expectandam, quod evenit quo- „ que, cum, consentiente post longas preces medico, aliquan- „ tisper se volutasset supra solum hypocausti. Cum vero bre- vis hæc volutatio supra solum omnino nequeat febrem arden- tem depellere, clarum est, hanc sanationem unice phantasiæ opus fuisse. In febribus malignis ea, quæ imaginationem for- tem stabilemquæ reddunt & conservant, utique effectus non contempnendos productura esse, docent & analogia, & præci- pue symptomata horum morborum, in quibus animi demissio & anxietas non minima sunt: hæc duo vero per fiduciam & fir- mam imaginationem arcentur & pelluntur, unde vim salutarem imaginationis in morbis malignis agnoscere debemus. Spasimi adiuc facilius a vi imaginationis compescuntur, quam aliae af- fectiones.

fe³iones , quæ magis mediate cum sensorio communi conne-
ctuntur. Quando sanguis calidus jugulati gladiatoris epotus ab
epilepsia liberat , teste CELSO e) , tum crudele hoc remedium ,
non quidem per horrorem , qui insignem & subitam mutatio-
nem in epilepsia facere , sicque præsentem corporis statum mu-
tare posset , agit , quippe quod Jll. VAN SWIETEN f) per ex-
emplum ex Tulpio allegatum , egregie refutat , sed ejusmodi
fanatio ingenti vi imaginationis in hoc illo^e subiecto per fidu-
ciam remedii exoptati & certi excitatæ soli debetur. Certe , si
superstitiosa illa , fœda , ridicula & magica remedia epilepticis
unquam profuere , horum virtus excitatæ & intensæ imagina-
tioni tribuenda erit , quod etiam KAAU BOERHAAVE agnoscit , g)
ubi inter rationes inventæ magicæ medicinæ vim imaginationis
ingentem his mediis excitatam jure numerat. Anaphrodisiæ ,
maxime illi , quæ a fascino esse creditur , imaginatio medetur.
MONTAIGNE l. c. exemplum habet amici , quem hac debilitate
sola imaginationis excitatione liberavit , & KAEMPFERV h)
uti ligaturam magicam , ita & ejus solutionem per varia inepti-
fissima phylacteria , quorum aliqua recenset , nec quicquam vi-
rium exferere posse contendit , „ nisi forte in animo supersti-
tiosi hominis , qui imaginatione sua influentes spiritus huc
„ requiritos , nullo negotio impedit , vel promovet. Odontal-
gia , quæ alias medicis crucem figere solet , sæpius imaginatio-
ni cedere visa est ; etenim illam quoque , quæ causas materia-
les agnoscit , per varia superstitione & magica remedia , subla-
tam fuisse , paſſim experientia commonstravit. Verbena , her-
ba alias antimagica , famam suam , quam in cephalæa sananda
sibi acquisivit , simili forsan fundamento debet. Dysstocia illa ,
quam a pathemate denominat SAUVAGES i) , ubi vires a metu ,
pusillanimitate &c. exsolvuntur , statim tollitur , simulac spem
pulchræ prolis , promptæ liberationis imaginationi inferere pot-
eris ; tunc enim parturiens novas sibi vires sumit , & imaginatio
intenta fœtum expellit. Quando vero sola verba non sufficiunt ,
ad subsidia , imaginationem excitantia mulierculæ , quamvis in-
sciae , confugiunt : filum sericeum , roseo - rubrum , brachio
sinistro alligatum , exigua dosis hepatis anguillæ , testiculorum
equi-

equinorum, vel secundinarum humanarum præparatarum mo-
mento effectum exoptatum præstisſe visa sunt; magno quidem
argumento, quantum vis imaginationis valeat. *Dysphagia*,
quæ a vitio imaginationis inducitur, firmata contra hunc mor-
bum imaginatione necessario fugatur. Si in medico ea est ani-
mi lenitas & flexibilitas, qua diversitati animorum sese accom-
modare, eorumque fiduciam captare potest, facile poterit pa-
roxysmum hypochondriacum & hystericum eludere, quod
quidem difficile, attamen etiam factum esse exemplis compro-
batum novi. *SYDENHAM* k) experientia idem edoc̄tus ait:
 „ certo scio, me vel medicamentis quantivis pretii, aut alia
 „ methodo, quæcunque demum ea fuerit, hypochondriacis
 „ æque ac tabidis phthifisique nihil magis proficere potuisse,
 „ quam si multis verbis hortatus fueram, ut recte valerent. --
 Wampirismus epidemicus remediis, eodem tendentibus fuga-
tur, uti historiæ ex Hungaricis provinciis allatæ, & in libris
supra (§. 7.) citatis recensitæ, docent. Fluxus quoque varii,
præsertim hæmorrhagiæ omnis generis solo beneficio imagina-
tionis sæpius tolluntur; uti enim terror subitaneus ex aqua ge-
lida nuchæ injecta, narium hæmorrhagiam præsentissime fistit,
ita quoque imaginatio valide intenta ejusmodi fluxum sufflam-
nat, unde fit, ut remedia sympathetica in hoc morborum ge-
nere adeo frequenter, nec semper sine fructu in usum trahi so-
leant. In sanatione strumarum vis imaginationis haud semel
efficacem sese commonstravit; uti tactus sanans regius, qui
hodie quidem exolevit, docet; olim enim Reges Galliæ & An-
gliæ ritu solemni, adjunctis sacerdotum precibus, scrophulas
tactu sanare tentabant; res interdum ex voto cedebat, (quod
Cel. M E A D l) subjungit,) cui vis imaginandi, quæ permagna
est in morbis sanandis, haud parum tribuit.

- a) Q. SER. SAMMONICVS de Medicina. Cap. L. b) De occulta philo-
sophia. c) Op. P. II. p. 85. d) Disput. II. p. 32. e) Libr. III.
c. 23. f) ad §. 1085. g) l.c.p. 413. h) Amœnit. Exot. Fascic. III
p. 653. sq. i) Tom. III. P. I. p. 174. k) Dissert. Epist. de affection
hysterica. p. m. 523. l) Monita & præc. Medica. p. 122.

§ 17.

Imaginatio sanat morbos per indirectum.

Morbi per vim imaginationis etiam indirecťe sanantur; & quidem 1) cum imaginatio nimium intensa iterum remittitur, 2) dum illa versus alia objecta vertitur, & in ea intenditur, 3) cum evacuationes ad sanationem alicujus morbi facientes excitat. Primo itaque loco morbi, qui ab imaginationis intensitate aluntur, (§. 10.) maxime vero vesaniæ, hujus remissione, si idea demens quovis artificio ægris eripi potest, sponte sanantur, uti tot exempla hypochondriacorum, melancholicorum, & maniacorum, astu sanatorum comprobant. Hujuscemodi exempla plura legas in observationibus med. SCHENCKII a) & alibi. Hydrophobos sanari, „si idea illa ipsis summa violentia eximatur, quod fit submersione in aquam adeo formidatam, ut nempe nolentes sic discant, stultam istam imaginationem & formidinem aquæ fuisse, contendit LANGIVS b), cuius remedii vim omnem quoque BOERHAAVE c) ad imaginationem vel spirituum turbationem refert. Nostalgia cum suis symptomatis soli spei reditus in patriam, et si falsæ, cedere vila est. Præter stratagemata medica, quæ in hujusmodi casibus adhiberi solent, est quoque integra medicamentorum narcoticorum classis, idem efficere valentium. Hinc vinum Europæorum curas solvit, & opium incolas Asiæ reficit, & quasi in paradiso gaudia transfert. Nec sine omni jure videor mihi statuere posse, Praxin Sydenhamianam cuius fere tertiam partem opiatorum administratio constituit, etiam ex his rationibus felicem esse, quoniam pharmacum illud vel, imaginationem nimis tensam, remittendo, vel eam, si in unum quoddam objectum nimis defixa hæret, excitando, & concutiendo miseris mortali-bus in solamen cedit. Secundum locum morborum per imaginationem indirecťe sanabilem occupant ii, qui tolluntur, cum imaginatio versus alia objecta vertitur, & vi ea intenditur. Paroxysmus febris intermittentis musica, vel suavi amicorum colloquio remotus esse, saepius visus est. Singultus secundum vulgare experimentum mox cessat, cum momentosam quandam historiam homini, eo laboranti, proponere incipias, vel si appressione digitii minimi ad pollicem imaginationem eo divertis.

Epilepsia curatio, quam olim Ill. HERM. BOERHAAVE præstitit, omnino huc pertinet. Is enim narrante KAU BOERHAAVE ^{a)} „ pueris puellisque (§. 7.) citatis præsentibus, jussit per cam
„ meram disponi fornaces portatiles, prunis ardentibus instru-
„ etas, atque iis imponi ferreos hamulos, ad certam figuram
„ adaptatos, tum ita mandavit: Quia omnia frustra forent,
„ sepe aliud nescire remedium, quam ut, qui primus puer fo-
„ ret vel puella, infausto morbi paroxysmo corriperetur, lo-
„ cus quidam nudati brachii candente ferro ad os usque inure-
„ tur, atque, ut gravitate pollebat dicendi, perterriti omnes
„ ad crudele remedium, dum instantem sentiunt paroxysmum,
„ omni mentis intentione & metu dolorificæ inunctionis eidem
„ resistunt, fortioris oblatione ideæ. -- Dolores sere omnes,
si animum patientis distrahere possis, si non cessant, attamen
notabiliter imminuuntur. Dystocia, quæ etiam (§. 15.) per
imaginationem directe tollitur, per eandem indirecte sanatur,
cum animus prostratus narrationibus, gestis, fabulis appofitis
ab idea molesta avocatur. ^{e)} Somnambulones verberibus, aqua
gelida, aliisque excepti, terrificas has ideas adeo præsentes
imaginationi fistunt. ut postea non amplius audeant, scenas
suas ludere. ^{f)} Tarantismus, quem quidem multi hodie, non
nisi fictum credunt ^{g)}, vi musicæ, potentissime in imaginatio-
nem operantis, eamque pro sui varietate aliter atque aliter de-
determinantis, sanari solet. Paroxysmus hypochondriacus &
hystericus, si a pathemate quodam oriuntur vel sustentantur,
mentis & imaginationis distractione sæpe differuntur, vel plane
auferuntur. Hæmorrhagiam narium aspectu rei alicujus, in-
solitæ, vel perceptione doloris, item, cum terribilior quædam
fabella narratur, subito nonnunquam cessare, experientia docet.
Tertius ordo morborum, per vim imaginationis indirecte sana-
bilium, complectitur omnes eos, qui per evacuationem & re-
solutionem aliquam, qualiscunque sit, sanari possunt. Cum enim
imaginatio intenta omnis generis evacuationes & resolutiones
producere valeat, (§. 5.) sponte patet, morbum, cui depellen-
do eiusmodi operatio naturæ inservit, vi imaginationis quoque
tolli. Huc maxime pertinent viscerum glandularumque obstru-
ctiones,

ctiones, quæ nunc tantummodo ut principia morborum, nunc autem ut veri morbi considerandæ sunt.

a) Obs. 228. b) Dissert. II. p. 33. c) Aphor. 1143. d) I. c. p. 406.
 Cap. IX. e) SAUVAG. l. c. T. III. P. I. p. 174. f) ibid. p. 309.
 g) Cel. BVSCHING in Epistola ad Ill. Kæstn. Hamb. Mag. XIV. Band
 inserta, omnes tarantatas, pro impostaribus lucri cupidis declaravit.
 Verum cum Baglivi, argutus certe Medicus, ut alios taceam, integrum
 dissertationem de Tarantula scripsit, & in ea non mendicorum tan-
 tum, sed aliorum quoque virorum, quin etiam duarum matronarum
 nobilium historias retulerit, ubi integer processus in ejusmodi casibus
 consuetus, adhibitus fuit, vix & ne vix quidem de historica hujus rei ve-
 ritate dubitare licebit. Cel. SAUVAGES l. c. præter fictam hujus morbi
 speciem, quæ utique non sine fundamento adstruitur, adhuc alias re-
 censet, quas ope musices sublatas esse fatetur, quamvis mortuum taran-
 tulæ pro causa morbi agnoscere recusat, quod quidem respectu theses
 nostræ perinde est.

§. 18.

Quomodo vis imaginationis agat?

Licet catalogus morborum, qui per vim imaginationis vel
 producuntur, vel sanantur, in hac tractatione minime exhaus-
 itus sit, quod quidem vix fieri potest, quoniam quotidie nova
 hujus rei exempla prodire possunt, tamen hæc pro scopo præ-
 senti sufficere poterunt, cum omnibus reliquis exemplis, tam
 cognitis, quam adhuc incognitis, commode suus singulis locus,
 cni interseri possint, in hac tractatione assignari queat. Adhuc
 itaque explicandum erit, quomodo vis imaginationis tot tantos-
 que effectus edere valeat! Cum omni determinato statu corpo-
 ris conjungitur idea in mente, huic statui proportionalis eidem-
 que respondens: & reciproce! Harum idearum aliæ sunt claræ,
 aliæ obscuræ vel confusæ; Quo sæpius aliqua idea occurrit, &
 & quo diutius ejus occasio persistit, eo facilius mens eam ne-
 gligit, in novas magis intenta; Hinc motum cordis non per-
 cepimus, nisi cum mens omnium reliquorum objectorum ideas
 dimittit, omnemque attentionem in hoc solum defigit. Pro ea
 itaque ratione, qua ejusmodi idea, sive clara, sive obscura
 cum certo statu corporis conjungitur, eadem ratione certus sta-
 tus corporis necatur cum tali idea, etenim conjunctio, qua ta-
 lis, supponit mutuam actionem & reactionem. Ita mutatio,
 quam mens per imaginationem in corpore producit, coincidit

cum mutatione simili, quam caussæ corporeæ facere potuissent; hæ enim excitant stimulum quendam, cui dein motus determinati in corpore respondent: Quodsi nuuc tales motus sola vi imaginationis absque stimulo externo producuntur, effectus tamen semper idem erit, & illa vices omnium medicamentorum gerere valet. Iis, qui dextrorum musicorum, vel & præstigiatorum operationes attente contemplati sunt, non amplius adeo mirum vel incredibile videbitur, quod corpus a mente motibus adeo compositis affici possit; Cur vero, & quomodo hoc mutuum corporis & mentis commercium obtineat, id quærere nefas, etenim hæc naturæ mysteria

- - - - caliginosa nocte premit Deus.

Sufficiat, factis & ratiociniis evicisse, quam potenter imaginationis simulac per affectus, eorumque occasiones, per vigilias, per ipsam voluntatem, vel denique per omne id, quod violentius & diutius in sensoria interna agit, excitatur, non tantum in morborum generatione agat, sed etiam adeo salutares effectus edat, qui vix aeneo ne vix quidem ab universo Medicinæ apparatu expectari poterant.

§. 19.

Vis imaginationis viribus naturæ medicatricibus & destru- tricibus annumerari debet.

Imaginatio itaque jure meritoque illis naturæ humanæ viribus annumerari meretur, quæ corpus vivum a morbis tueri, idemque jam affectum iterum liberare valeant. Has autem si contempleris, fere dixeris, eas ita comparatas esse, ut homini pro diversa sui applicatione in damnum æque, ac in commodum cedere possint. Quamlibet enim vis imaginationis effectus quam maxime salutares edere possit, elucet tamen ex supra dictis, eandem saepius quoque ad destructionem corporis tendere. Ita vero virium naturæ medicatricum, de quibus Ill. **G A V B I V S a)** agit, limites applicantur, & vis imaginationis facultati nutriendi, (§. 635.) consolidanti, (§. 636.) πεπατμω, (§. 637.) facultati expultrici, (§. 639.) commotioni febrili, (§. 641.) instinctui, (§. 943.) consuetudini, (§. 644.) associari meretur.

a) *Instit. Pathol. Med.*, §. 633. sq.

§. 20.

Uſus, ex cognitione hujus vis in Medicinam redundantis.

Cum meræ speculations, nullum in praxi uſum habentes, in Medicina supervacaneæ videri possint, verbo adhuc dicam, quem quantumque uſum cognitio virium imaginationis tam in hygiei- ne, quam jatrice präfert. Cum Medici ſit, vires naturæ huma- næ ad vitæ & sanitatis a morbis & morte tutelam prudenter di- rigere, vis autem imaginationis inter vires naturæ humanæ ma- xime efficaces numerari debeat, etiam hujus prudens directio Medico incumbit. Cognitio itaque psychologica & philosophi- ca imaginationis non minns, quam historica Medico utiliflora, quin & necessaria eft. Discet exinde, quid in hoc illove caſu agendum, an & quodnam stratagema adhibendum, & quomodo imaginatio extra oleas vagans, iterum in ſuos limites redigenda eft? Cel. BOLTEN a) hujus cognitionis necessitatē luculenter evincit, pluresque regulæ æstheticas logicasque recenſet, qui- bus hiſ vitiis occurri poſſit. Generalis regnla mihi quidem vi- detur hæc eſſe, ut ideam aliquam mente präconceptam per aliam fortiorem, huic contrariam excutere ſtudeamus. Applicatio- ni hujus regulæ ad caſus ſpeciales ſua quemque sagacitas & ingenium docebit. Nec Medicorum tantum, ſed & omnium ſere hominum interefft, rei, quæ in educatione infantum tanti momenti eft, haud eſſe ignaros. Difficile quidem opus eft, fi vero bene perficitur, quantivis æſtimandum, quando tenera infantum organa sensoria, & tenera eorum mens a noxiis impres- ſionibus firmiffime dein inhærentibus, präſervantur, eademque contra has obſfirmantur; e contrario vero imagines reales a re- um natura non abludentes ipſis ſuggeruntur. Sane, fi majores nostri infantum ſuorum imaginationem melius direxiffent, non iam multi in dæmonomaniam incurriſſent, & a judicibus non mi- us veſanis rogo impositi fuiffent. Et nostris certe diebus non pot hypochondricaci & hystericæ querelis ſuis medicos defati- arant, fi imaginatio ope prudentis educationis bene dirigere- ur, & intra ſuos cancellos detineretur.

a) Gedancken von psychologischen Curen.



§. 21.

*An liceat stratagematibus imaginationem exorbitantem
deludere & torporem excitare.*

Imaginatio semel exorbitans vix ac ne vix quidem per sana ratiocinia coërceri potest, eademque torpens difficulter excitatatur, adeoque hoc negotium plerumque requirit remedia per indirectum applicanda, stratagemata puta, astnime. Jam vero quæri posset, an stratagemata, ad quorum applicationem sæpius a parte Medici aliqua charlataneria requiri ur, ut ægroti eo tuis certiusque decipi possint, an inquam hæc officiis viri probi & honesti repugnant: *NYMANN* a) „omnem talem curationem, quæ fit per characteres, schedulas &c. inanem & futilem pronunciat, cum *homini* minus *superstitioso* & *credulo* adhibita, nihil conferat. -- Sed est modus in rebus! omnino si in ejnsmodi curationibus de nomine Dei Inditur, ex prorsus abjiciendæ & contempnendæ sunt. In reliquis autem casibus, ubi sanatio morborum imaginationem excitatam vel temperatam requirit, stratagemata non modo licita, sed & necessaria reputo. Absit ergo, ut omnem talem curationem pro futile & inani habeamus, quæ tantum credulos & superstitiones juvat. Quid igitur, an Medicus ægrorum superstitionum curam suscipiens, culpandus? Certe, si unquam, hic saltem suo jure valet illud: Mundus vult decipi, ergo decipiatur! Volenti enim non fit injuria. Fuerunt quoque probi Medici, qui, licet apprime norint hujusmodi ludibriis per se nullam vim inesse, nihilominus ea adhibuerunt. *Felix PLATERVS* b) jussit *pro forma* radicem allii semper in collo gestare. *MONTAIGNE* c) Medicis semper infensus hæc omnia inter imposturas refert, dicens: Pourquoy pratiquent les medecins avant main, la creance de leur patient, avec tant de fauces promesses de sa guerison, si ce n'est afin que l'effect de l'imagination supplisse l'imposture de leur aposteme. Verum enim vero dolus, ubi intentio bona est, & ad salutem ægri tendit, jure meritoque ad dolos bonos, adeoque laudabiles refertur.

a) *Oratio, de imaginatione.* b) *Obs. Med. p. 583.* c) *Livre des Essais.
p. 84.*